



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 21. Aloysius Priulus a Polo hæres nominatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

inhærebant, ad resipiscendum admone- **Sæcul. XVI**  
 bat, eos vero, qui sese ab Ecclesia, **A.C. 1558**  
 vel ex inconsulta temeritate, aut ex  
 inquis humanæ prudentiæ rationibus,  
 vel etiam ex ignavo privatæ utilitatis  
 studio segregarunt, ad Ecclesiæ finum  
 revocare nitebatur. Ceterum ejus vi-  
 tam idiomate Italico conscripsit Ludo-  
 vicus Beccatellus Episcopus Ragusinus,  
 eamque latine reddidit Andreas Dudi-  
 tius Sbardellatus, Episcopus Tininen-  
 sis in Hungaria.

## §. XXI,

*Aloysius Priulus a Polo hæres nomi-  
natus.*

Porro idem Cardinalis paulo ante suum **Thu. l. 202**  
 obitum, seu die quarta Octobris te-  
 stamento condito Aloysium Priulum Pa-  
 tritium Venetum omnium bonorum suo-  
 rum hæredem scripsit, nam hunc ve-  
 teri, arctaue amicitia per viginti sex  
 annos sibi junctum in familiaritatem ad-  
 sciverat, a quo tempore ille a Poli la-  
 tere nunquam discessit, nec inde ullis  
 conditionibus avelli potuit, ne tum qui-  
 dem, cum a Julio III., ut in sacrum  
 Collegium adlegi vellet, urgeretur; ipse  
 enim hac dignitate admodum conspi-  
 cua potius privari, quam a Poli con-  
 sortio avelli voluit. Hic idem Nobilis  
 Venetus, qui jam antea Polo Cardinali

C 4

ex

**Sæcul. XVI.** ex Anglia discedere coacto cuncta ne-  
A. C. 1558. cessaria liberaliter suppeditabat, in eo-  
dem regno cum Amico suo vivere, ac  
mori decreverat; quod autem Polo nul-  
latenus ex proprii quæstus studio ad-  
hæserit, sat elucet ex eo, quod gene-  
roso animo post Amici sui obitum, hæ-  
reditatem sibi delatam recusaverit, ejus  
tamen testamentum præcipua diligen-  
tia atque integritate executus est, soli-  
dosque viginti menses, quibus Polo su-  
perstes fuit, in colligendis ejus rebus  
huc illuc dispersis, & summa fide di-  
tribuendis consumpsit: insuper cuncta  
pia legata in Testamenti tabulis con-  
scripta exacte persolvit, atque ex re-  
siduis bonis eleemosynas in pauperes  
erogavit, quin sibi quicquam præter  
defuncti Cardinalis Breviarium, atque  
ejusdem diurnale reservasset. Ceterum  
Polus haud adeo dives obierat; vixe-  
rat enim semper a temporalium bono-  
rum cura, & humanarum dignitatum  
cupiditate admodum alienus.

## §. XXII.

*Pontifex circa Anglii Sceptri succes-  
sorem Romæ sollicitus.*

**Pallav. hist.** Interea nuntius de Reginæ Angliæ, ac  
**Conc. Trid.** Cardinalis Poli obitu die vigesima  
*l. 14 c. 8.* secunda Decembris Romam deferebatur,  
*n. 1. &c. 2.* cum autem in Angliæ Regno Religio  
non-